



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 683/14/I

### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam christifidelium religionem atque animarum salutem, vi facultatum sibi a Sanctissimo in Christo Patre Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus ab Excellentissimo Patri Domino Francisco Romano Casanova Casanova, Episcopo Vicensi, die I Iulii MMXIV allatis, de caelestibus Ecclesiae thesauris plenariam misericorditer in Domino concedit atque impertit *Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a proximo die XXXI Iulii usque ad XXXI Iulii MMXVI, ad instar Iubilaei lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si, unito corde cum spiritalibus finibus Anni Vitae Consecratae atque Anni Sancti Misericordiae, ad Sanctuarium Speluncae Sancti Ignatii apud Manresam positum, sacrae interfuerint Peregrinationi, ad sacrum parandum anniversarium quingentesimum ex quo, S. Ignatius de Loyola qui, primo in Catholici Regis aula et militia vitam egit, post grave vulnus acceptum, e profano milite piissimum mutatus in peregrinum, a Loyola usque ad montem Serratam, deinde, relicto monachis Monserratensis coenobii iumento, pedes ipse obvoluto etiam tum fasciis altero crure claudicans, per summum laborem a monte Serrato discessit ad oppidum Barcinonensis agri Minoressam seu Manseram exeunte mense Maio MDXXII pervenit.

Peregrini, insuper, in Sanctuario Speluncae Sancti Ignatii, alicui sacrae functioni interesse debebunt, vel saltem per congruum temporis spatium preces Deo effundere pro fidelitate Hispaniae ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus B. Mariae Virginis et S. Ignatii.

Ita peregrini ad virtutes supernaturales, praesertim Fidei, Spei et Caritatis, magis semper in actum vitae traducendas instimulabuntur, et solidabunt suam communionem cum Romano Pontifice, totius Catholicae Ecclesiae unitatis visibili fundamento.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiarum enixe rogat ut sacerdotes sodales Societatis Iesu, quibus Sanctuarii cura pastoralis commissa est, generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti totum per iubilarem annum valituro. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die VIII Iunii, anno Incarnationis Dominicae MMXV.

*Maurus Card. Piacenza*  
MAURUS S. R. E. Card. PIACENZA  
Paenitentiarum Maior  
*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens

USUAT DE VIC

Faig ammar qite aqvesta fotocopia  
reproduca Eideament Parigina.

Via 24.06.2015 del 2015

El Director

